

interiectis : « Beneficia insipienti qui dat, perdit. Silvestris rusticitas creditum semen restituere non potest, » quasi dicit : Ingratus est rusticus, imo rus silvescens, quod semen in eo satum non reddit cum fœnore, sed devorat et perdit.

Quinto, sicut ager et vinea inculca in summam sterilitatem et desolationem tendit, sic et anima pigra et torpida. Audi egregie damna et exitium ejus recensentem S. Bernardum, serm. 63 in Cantio. : « Hoc fœnus, ait, si semel animam, animam quidem (ut assolet) incuria spiritus dormitantem pervaserit, ac nemine deinde (quod absit) inhibente ad interiora ejus pervenerit, descenderit in viscera cordis et sinum mentis, concusserit affectiones, occupaverit consilii semitas, perturbaverit iudicii lumen, libertatem adduxerit spiritus; mox (ut in corpore solet evenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis tenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus exstinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigerat fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscibitur, derelinquitur timor Domini; dantur postremo impudentie manus, præsuntur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia et confusione saltus de excelsis in abyssum, de pavimento in sterquilinum, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum. »

Porro Septuaginta sic vertunt, tanquam ager vir imprudens, et tanquam vinea homo egens sensu. Si dimiseris eum, desertus fiet, et silvescit totus, fiet derelictus; spes autem lapidum ejus defodiuntur. Vel, ut clarus Auctor *Catene Græcorum* : « Tanquam ager et d culturam idoneus vir stultus, et tanquam vinea homo mentis inops; si incultam dimiseris, evadet sensim horrida, planeque silvescet, et tandem omnino deseretur, lapidesque maceria ejus effodiuntur. »

Unde S. Ambrosius hanc gnomen ex Septuaginta citans et explicans de gratitudine, lib. I *Offic.* cap. xxxi : « Imitanda, ait, nobis est in hoc quoque natura terrarum, que susceptum semen multiplicatore solet numero reddere quam accipit. Ideo est tibi scriptum : Sicut agricultura est homo insipiens, et tanquam vinea homo egens sensu; si reliqueris eum, desolabitur, » etc. (usurpat Ambrosius translationem Septuaginta); « sicut agricultura ergo etiam homo sapiens, et tanquam fœnerata sibi majore mensura semina suscepta restituit. Terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut creditos uberiori cumulo refundit, ac reddit. »

Pergunt Septuaginta : Postea (Vaticana, novissima) ego quoque egi penitentiam, respicique ut eligere disciplinam. Unde censent nonnulli tota ha

parabola suaderi pigro penitentiam, ut pigritiam penitentia diluat, et novum efficaque concipiat diligentie propositum. Ita Auctor *Catene Græcorum* : « Observa, ait, consentaneum congruunt sermonis ordinem; nisi enim penitentiam egisset, disciplinam non elegisset. Nam nemo ante disciplinam elegit, quam super his que male admisit compungatur. Rei itaque præsens scopus ad penitentiam tendit, » g. d. Ego videns damna pigri et pigritie in inculco agro et vinea, reflectens et assurgens ad animam meam in virtutibus tepidam et torpidam, cum Deus eam mihi dederit, ut strenue velut agrum Dei eam excolerem, corpi ponere et compungi, ac destinavi animo eligere disciplinam, puta diligens studium et exercitacionem virtutum.

Ex hisce verbis probabiliter S. Cyrillus, *catech.* 2, et S. Hieronymus, in cap. xliii *Ezech.*, censent Salomonem post lapsum in idololatriam egisse penitentiam esseque salvatum : « Peccavit, inquit S. Hieronymus, Salomon, licet postea egerit penitentiam, » scribens Proverbia, in quibus ait : « Novissime ego egi penitentiam. » Unde et cap. xxx, 2, penitens ait : « Stultissimus virorum ego sum, et sapientia hominum non est mecum. » Idem S. Hieronymus, initio *Comment. in Eccles.*, assertit, Hebræos tradere Ecclesiasten esse librum Salomonis penitentiam agentis; unde omnes hujus mundi delicias expertus exclamat : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Vide Pinedam, lib. VIII *De Rebus Salomonis*, cap. 1, sect. 6. Majorem vim haberet hoc argumentum, si certo constaret Proverbia et Ecclesiasten conscripsit esse a Salomone post lapsum, non ante.

USQUEQVO, PIGER, DORMIES? USQUEQVO DE SOMNO CONSURGES? — Hæc verba in multis Codicibus exstant, sed delent ea Romana et Hebræa; quare transcripta esse videntur ex cap. vi, vers. 10, idque satis innuit *iniquam*, quod sequitur : « Parum, inquam; » nam alioqui illud præponendum erat, dicendumque : « Usquequo, inquam, piger, dormies? »

33 et 34. PARUM, INQUAM, DORMIES, MODICUM DORMITABIS, PAUXILLUM MANUS CONSERES (complicabis quasi iners) UT QUIESCAS (Chaldeus, parum applicabis manus tuas ad pectus, ut dormias); ET VENIET TIBI QUASI CURSOR (puta celerissime) EGESTAS, ET BENEDICTAS QUASI VIR ARMATUS. — Hebræa et Chaldeæ, quasi vir scutatus, id est sentio armatus, ideoque qui vincit et repellit nequeat; Septuaginta, parum dormio, parum dormio, parum manibus pectora demulceo. Quod si hæc facere perreperis, dicebam apud me : Veniet propterea paupertas tua, et egestas tua quasi expellitus cursor.

Duplex est hic expositio, ait Jansenius, Quidam censent Salomonem hic docere quid facere quid parum ei sit dormiendum, hoc est, quod paucos somno, et quiete parva debeat esse contentus; id enim si fecerit, etiamsi egestas et inopia aliqua

accedat, non adhereret tamen ei, sed veluti cursor et vir armatus, qui festinat procedere ad aciem belli, cito pertransiet, eamque sua diligentia facile superabit. Alii rectius intelligunt hic indicare Sapientem, per quid fiat ut quis in egestatem incidat, quam effugere et superare non valet; nempe per hoc quod quis nunc parum somno indulget, rursum modicum, ac iterum modicum : modicum scilicet ibi, et modicum ibi, sique multis vicibus dormiendo parum, dormiat jultum, tametsi parum se dormire dicat, hoc est, ubique et semper otiosus sit, et moras neclat varias sui otii causas prætexens. Nam somno, dormitatione et complexu manuum pigrorum otium designat. Hæc ergo cessatione et otio fit ut et de improvviso egestas adveniat, quemadmodum cursor aliquis subito et inexpectato adest, et eadem tanquam vir armatus opprimat sic hominem, ut eam non possit effugere, sed ab ea penitus consumatur, « Fames enim, inquit Hesiodus, est individuum comes hominis ignavi. »

Porro hi duo versus hic repetuntur : ad verbum enim idem exstant cap. vi, vers. 10 et 11, ubi eos explicui; quare hic loca non addam. Hi ergo

acres sunt stimuli quibus Salomon pungit pigrum, ut desidiam exculat ac laborare assuescat; labore enim sedulo et continuo ager quantumvis senticosus et silvoscus expurgatur, ac sue culture, semini et messi restituitur. Tritum est exemplum senis in *Vitis Patrum*, cui, cum quidam quereretur se vitis optletum, ac provido de eorum extirpatione desperare; jussit ille ut secum hortum quemdam cardus sentibuscque obsitum expurgaret, quotidie ergo operi manum admovendo sensim omnes extirparunt, hortumque plene intra paucos dies expurgarunt. Tunc senex ad juvenem conversus : « Fac, ait, o fili, similiter in agro anime tue; quotidie aliquid vitium reseca et extirpa, idque constanter urge et continua, ilaque sensim omnia evelles, et animum primævo nitiori restitues. »

Hoc capite Septuaginta Vaticani valde mutant ordinem, versusque plures transponunt. Nam post vers. 22, interponunt tunc pone caput xxx, ut patet intentione, quod signum est has gnomas Salomonis olim sparsas fuisse, et a variis vario ordine collectas et collocatas. Idem faciunt Syrus et Arabicus, qui de more sequuntur Septuaginta.

TERTIA PARS LIBRI.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gloria Dei et regum : cor regis inscrutabile : justitia firmatur thronus ejus : ne te coram rege exaltes : ne in iurgio secreta prodas : mala aurea sunt verba opportuna : inauris aurea qui arguit sapientem : quod frigus in messe, hoc legatus fidelis est heros : nubes sine pluvia est promissa non complens : lingua mollis frangit duritiam : comede mel moderate : falsum testimonium est jaculum in proximum : dens putridus est infidelis : acetum in nitro est cantus mesto : quod tinea vesti, hoc tristitia est cordis : ciba et pota inimicum : facies tristes fugat detrahentes : quod frigida sitient : hoc nuntius bonus amanti : seruator majestatis opprimetur a gloria : urbs sine muro est nesciens cohæere linguam.

1. Hæc quoque parabola Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechie regis Juda. 2. Glorie Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem. 3. Cœlum sursum, et ter deorsum, et cor regum inscrutabile. 4. Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. 5. Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur justitia thronus ejus. 6. Ne gloriosus appareas coram rege, et in loco magnorum ne steteris. 7. Melius est enim ut dicatur tibi : Ascende huc, quam ut humilieris coram principe. 8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito : ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. 9. Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum extraneo ne reveles. 10. Ne forte insultet tibi cum audierit, et exprobrare non cesset. Gratia et amicitia liberant : quas tibi serva, ne exprobrabilis fias. 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in

tempore suo. 12. Inanis aurea, et margaritum fulgens qui arguit sapientem, et anrem obedientem. 13. Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. 14. Nubes, et ventus, et pluviae non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens. 15. Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam. 16. Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud. 17. Subtrahere pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te. 18. Jactum, et gladium, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. 19. Dens putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiae: 20. et amittit gallium in die frigoris. Arcetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut linea vestimento, et vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi. 21. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere. 22. Prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi. 23. Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies trislis linguam detrahentem. 24. Melius est sedere in angulo domatius, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi. 25. Aqua frigida animam sitiienti, et nuntius bonis de terra longinqua. 26. Fons turbatus pede, et vena corrupta, justus cadens coram impio. 27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. 28. Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

1. HE QUOQUE PARABOLAE SALOMONIS, QUAS TRANSLULERUNT VIRI EZECHIE REGIS JUDA. — Syrus, hanc quoque proverbialia Salomonis profunda, quae scripserunt amici Ezechiae regis Juda; Arabicus, disciplinam Salomonis filii David, quarum solutio est admirabilis, quas scribi petierunt amici Ezechiae. Pro translulerunt hebraice est העֲבִירֵי הַחֵטִיִּים *hetiki*, quod primo verti potest, antiquarunt, id est antiquitate donarunt, non novas, sed antiquas genuinasque Salomonis esse testati sunt. Unde R. Salomon vertit, *confermarunt; secundo, adauzerunt*, multiplicarunt, locupletarunt; *tertio, roborarunt*, id est robur auctoritatis eis dederunt; Lyranus vertit, *fortificaverunt imponendo eas*, inquit, *in libro authentico; quarto, Septuaginta et Syrus vertunt, transcripserunt; quinto, Noster, translulerunt*. Porro R. Levi: «Ideo, inquit, haec sententiae seorsim a ceteris collocatae sunt, quod deceptae fuerint ex sapientum scitis et enuntiatis; caetera enim, quarum hucusque facta est mentio, ea ratione et serie reperte fuerunt, quam habent inter Salomonis pronuntiata.» Verum errat; nam titulus harum paraboliarum, regum ac praecedentium, est: *Parabola Salomonis*. Unde constat ex scriptis Salomonis, non aliorum sapientum, eas esse deceptas.

Queres, quomodo viri Ezechiae translulerint has parabolas Salomonis? Suppono non translulisse eas de una lingua in aliam, ulli opinatus est Dionysius Carthusianus. Constat enim Salomone scriptis eas lingua Hebraica, atque eadem hunc translate sunt a viris Ezechiae.

Communis interpretum sententia est sequentes parabolas ante Ezechiam non fuisse copulatas praecedentibus, sed in alia membrana, et forte in variis membranis et schedis fuisse conscriptas; Hebraei enim non scribebant in foliis diversis,

quae deinde in unum volumen compinguntur, ut fit in libris modernis; sed codicem totum scribebant in una membrana, ex una vel multis (si liber esset longus) pellibus compinginata, quam deinde in orbem circa cylindrum convolvebant, revolvebant vero et explicabant cum eam legere velent, uti Christus revolvit et explicuit codicem Isaeae, cap. Lucae iv, 17. Igitur ne parabola haec dissecta et dispersa parerent, aut robur et nomen Salomonis longinquitate temporis amitterent, curavit Ezechias eas conquiri annexique caeteris Salomonis parabolis, et in eandem cum eis membranam sive codicem transcribi. Inque ante Ezechiam liber *Proverborum Salomonis* finiebatur in cap. xxiv; Ezechias vero addidit cap. xxv et seq. Ita Lyranus, Cajetanus, Jansenius, R. Salomon, Aben-Ezra et caeteri Hebraei, Graeci et Latini.

Aliiter noster Salazar: censet enim librum hunc Proverborum esse quoddam convivium sapientiae et sapientum Salomonis, in quo nimirum more praesto interloquantur alteris Salomon, Agur et Lamuel, primi sapientes illius aevi. Cum ergo hucusque locutus sit Salomon, vices loquendi cessit Aguri et Lamueli; unde eorum sententias ante cap. xxv collocant Septuaginta in codice Vaticano pervertendo (licet Noster secutus Hebraeos eas translulerit in cap. xxx et xxxi), quibus expletis Salomon vices suas loquendi suamque sapientiam complendi resumpsit, ac sententias quas huc capite et seq. ponuntur, deprompsit. Porro viri Ezechiae ut sententias Salomonis omnes conjungerent, eas huc translulerunt, ut immediate praecedentibus, quas Salomonis esse constat, necederentur, reliquas vero Agur et Lamuelis, quae olim interpositae erant inter utrasque (ut dixi) sustulerunt, et post omnes sententias Salomonis collo-

carunt cap. xxx et xxxi. *Translulerunt* ergo, id est de loco in locum mutarunt, ut, cum prius sequerentur sententias Aguris et Lamuelis, jam eas praecedant, et proxime caeteris Salomonis parabolis cohaereant.

Haec sententia videtur probabilis et plausibilis. Sic enim Plato in suo *Convivio* Socratem, Pausaniam, Phaedrum, Erichimachum et alios de amore disserentis; ac Plutarchus in suo *Epulo* septem Graeciae sapientes de legibus disputantis introducit. Verum illi quaedam obsistere videntur. *Primum*, quod Septuaginta nullam Aguris et Lamuelis faciunt mentionem, sed haec nomina non ut propria, verum ut appellativa, accipiunt et interpretantur, uti facit et Noster. Deinde, quod post verba Aguris Septuaginta intendant verba Salomonis, quae nos habemus cap. xxv, 23: «Haec quoque sapientibus,» etc. Adde multos per Agurum et Lamuelem non alium intelligere quam ipsum Salomone, de quo plura cap. xxx. Sic hoc saeculo viri docti variosi S. Augustini, S. Gregorii, S. Basilii, S. Cyrilliani, S. Bernardi, etc., libros vel tractatus dispersos in unum eorum volumen redegerunt, ut suis eos auctoribus tribuerent.

Dico ergo certius videri quod initio dixi, sequentes parabolas ante Ezechiam fuisse separatas a praecedentibus, et in aliis schedis vel membranis conscriptas; Ezechiam vero, curasse ut priores in eadem membrana et codice annexerentur, ut nomen et auctoritatem Salomonis et S. Scripturae aequae ac caeterae obtinerent; unde hebraice העֲבִירֵי הַחֵטִיִּים verti potest, ut dixi, *antiquarunt et roborarunt*, id est robur antiquitatis eis addiderunt (1).

Addunt Beatus Hippolytus Martyr et Eusebius viros Ezechiae selegisse meliores sententias et utiliores Salomonis, easque huc transcripserunt; caeteras vero minus insignes minusque utiles neglexisse et reliquisse. Sane si sequentes gnomas introspectas, videbis eas praeter caeteris quid aere, selectam, vivum et igneum spirare. Quocirca Chaldaeus hoc loco vertit, *parabola Salomonis profunda; Syrus, abstracta*. Unde Aben-Ezra ait has parabolas esse singulares, et maxima suavitate affluentes. Constat enim ex lib. III Reg. cap. iv, vers. 32, Salomone supra mille carmina, sive odas, et in illa nulla parabolarem dietasse. In hoc autem libro vix extant mille parabola, imo si a cap. x, ubi praesae incipiunt parabola, eas numeres

(1) Sensus genuinus est, *etiam hoc quae sequuntur, perinde ac superiores, sunt parabola*, gnoma Salomonis, quas translulerunt ex illis scriptis, v. g. annalibus regni Salomonis (Conf. *Esther* vi, 1, 2), in quibus dispersae erant, et collegerunt in hunc locum, *viri Hiskia, regis Juda*, literati, quibus hoc negotii injunxit Hiskias. — Caeterum, quae tertia haec parte continentur sententiae, sensus fere sunt abstracti et magis ad antiquitatem rationem compositae, quam quae in duabus partibus prioribus leguntur, praecipua maximo parte moralia formandis animis ad pietatis et virtutis studium inseruntur.

usque ad finem, praesae inventes duntaxat 639.

Sed audi B. Hippolytum et Eusebium apud Anastasium Nicenum, *Quaest. XXIX in Scriptis*: B. Hippolytus in *Cantica Canticoorum*, inquit Anastasius, asserit in diebus Ezechiae regis Juda alios quidem libros fuisse electos, alios vero neglectos, idque probat ex cap. xxv *Proverborum*, ubi viri Ezechiae dicuntur translulisse quasdam Salomonis parabolas; ipse autem ait dispersas descripsisse, «Unde autem, inquit, solegerunt, nisi ex libris qui inerant in ter mille odas seu Canticis Canticoorum? ex ipsis sapientes amici Ezechiae elegerunt ea quae pertinebant ad edificationem Ecclesiae.» Sic ipse qui legit in Septuaginta, *antiquarunt et roborarunt*; si *deceptas*, non, ut nunc legitur in editione Romana, *abstractas*; habet enim, hanc sententiam *Proverbia Salomonis discreta, quae scripserunt amici Ezechiae regis*. Refert idem Anastasius, Episcopus Nicenus, in eadem sententiam Eusebii Pamphili in antiquitatis historia haec verba: «Libros autem Salomonis Proverborum et carminum nomine, in quibus de natura plantarum omnisque generis animalium, qui in terra et aere versantur, de ipsis etiam adversus omnes morbos remediis disseruerat, ea de causa sustulit Ezechias, quod morborum sanationem ad ea referret populus, et nihil faceret a Deo perite curationes.» Abulensis quoque Hippolyto consentiens: «De parabolis, ait, et carminibus Salomonis forte si res se habebat, ut magis essent curiosa et ostentantia magnitudinem ingenii, quam utilia, et maxime carmina, ideo non fuerunt in Scripturae canonem translata. Idem dicendum est de disputationibus Salomonis de arboribus, de volucribus, de piscibus et jumentis, quae non fuerunt transcriptae in canonem, quod pure pertinerent ad philosophiam naturalem, quae directe ad mores non prodest. Unde non convenit ei quod dicit Apostolus: Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudicendum in iustitia,» etc. Haec Abulensis in lib. III Reg. cap. iv, *Quaest. VIII*.

Ex quibus Eusebii et Hippolyti verbis liquet, veram lectionem Septuaginta hoc loco esse *discreta*, id est distincta, selecta, discreta, scilicet a minus praestantibus minusque utilibus, ut dixi. Jam contrarium legitur *abstractas*, id est indistinctae, indiseratae, id est, ut explicat Auctor *Caloniae Graecae*, citra certum delectum collectae. Parenthesis, inquit, quae usque ad hunc locum expositae sunt, ab ipsomet Salomone in unum eorum redacta, digestaeque compertae sunt. At multa adhuc aliae sententiae in apophthegmatum specie, ab ipso Salomone de prompte sparsim ferebantur, quas amici Ezechiae regis hinc inde nullo certo ordine observato, et in unum quasi fascem redactas, regi Ezechiae, quod si plus admodum et religiosus haberetur, quasi honorarium aliquod obtulerunt. Salazar vero: Haec parabola, inquit, vocantur *indistinctae*, quia cum ante Ezechiam a praecedentibus, quas

hucusque audivimus, distinguerentur per interpositas Agris et Lamuelis sententias, viri Ezechiae exclusi iis quae erant Agris et Lamuelis, ac in cap. xxx transpositis, nexerunt sequentes praecedentibus, ut nulla esset auctororum distinctio, sed omnes uni eidemque auctori, puta Salomoni, cuius revera sunt, indistincte tribuerentur.

Viri (id est famuli et officiales) EZECHIAE. — Ezechias enim pietatis et rerum sacrarum valde fuit studiosus, ut patet II Paralip. cap. xxix et xxx. Unde suis demandavit ut libros sacros, ac praesertim Salomonis, integros purosque et sinceris conquirent, transcriberent, et suo quemque loco et ordine digererent; dedit autem curam hujus rei Sobnae scribae suo, qui id diligenter cum suis praestitit. Ita Aben-Ezra caeterisque Hebraei. Unde liquet hunc versiculum, sive hanc epigraphen non esse Salomonis, sed additam a Sobna virisque ab Ezechia ad colligendas hasce parabolas deputatis. Habet tamen haec epigrapha auctoritatem canonicam, quia exstat in Hebraeo, Graeco, Chaldeo, Syro, ac communi calculo comprobata est tam a Synagoga Judaeorum, quam ab Ecclesia Christianorum, ideoque intertexta est valde titulus ipsismet Parabolis.

Porro inter hos Ezechiae viros primarium fuisse Isaiam prophetam, utpote Ezechiae consanguineum et per familiarium, multi autumant; imo Hebraei, teste Eugubino in cap. I Genesis, et Thalmudici, teste Melchioro Cano, lib. II De Locis, cap. xi, quin et ipse Eugubinus ac R. Moyses Kimchi, tract. De Scripturis sacrorum librorum, asserunt Isaiam fuisse scriptorem librorum Salomonis, praesertim Parabolarum, quasi Salomon hasce parabolas non scripserit, sed dixerit, easque vulgus ore usuque communi celebravit, quas deinde Isaias scripserit, ac calamo posteritati mandavit. Salomon enim fuit rex; regum autem non est scribere, sed eloqui, suaque dicta aliis scribenda relinquire. Insuper fuit typus Christi, qui Evangelia non scripsit, sed dixit, et viva voce docuit, ac Evangelistis scribenda reliquit. Fuit enim in Christo « decus linguae regnumque loquendi, » ut loquitur Manilius.

Verum contrarium docent caeteri omnes, idque longe verius est, scilicet Salomonem immediate haec Proverbia scripsisse, vel certe scribae excipienti dictasse. Id enim discite ipse asserit Eccl. xii, 9, dicens de se in tertia persona: « Ecclesiastes, cum esset sapientissimus, docuit populum, et enarravit quae fecerat, et investigans composuit parabolas multas; quaesivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos. » Alias harum Parabolarum non tam Salomon, quam Isaias esset conscripserit auctor, sicut S. Mattheus auctor est Evangel. a se conscripti, etsi a Christo dicti et pronuntiati. Et qua ratione, quae so, populus tot centenas, imo millenas sententias Salomonis, easque plane diversas et disparatas, per ducentos annos, qui a Salomone usque ad Isaiam

interfluxerunt, tam integre et exacte in mente et memoria conservasset?

Respondent aliqui Proverbia, Ecclesiastes et Cantica a Salomone Hebraeo carmine et metro esse conscripta, ut mente retineri et ore concini possent; carmina enim memorae facile mandantur, quia certis numeris astringantur. Ita censet Nazianzenus, poem. 33 De germanis Script. libris, dum ita canit:

Quinque metris constant, Job, David, tres Salomonis: Concio, et insignes Cantus, Proverbia sacra.

Concio est Ecclesiastes. Quam eandem sententiam eisdem fere verbis repetit Amphiloehus suo carmine iambico De Script. libris legendis, et Damascenus, lib. IV De Fide, cap. xvii, dicens: « Tertius sacrorum librorum quinquenario versibus constat, nempe Job, Psalterium, Proverbia Salomonis, ejusdem Ecclesiastes et Canticum Cantiorum. » Neque a Satyrica poesi alienum est, publicam morum corruptelam carpere, vitia peculiaria omnium Reipublicae ordinum notare, et ex abrupto ordiri, nec sine indignatione et amarulentia. Quae, ut in Proverbiis et Ecclesiaste inveniuntur, ita propria esse Satyricorum poetarum certus est, quam ut probatione egeant. Verum Proemio in Ecclesiasten ostendunt haec oratione soluta, non carmine esse conscripta. Adde quod S. Hieronymus, epist. ad Paulam Urbicam, censet ultimam duntaxat Proverborum partem, scilicet cap. xxxi, vers. 10 usque ad finem, carmine esse conscriptam: « Proverbia Salomonis, ait, extremum claudit Alphabetum, quod tetrametro iambico supputatur ab eo loco in quo ait: Mulierem fortem quis inveniet? »

2. GLORIA DEI EST CELARE VERBUM, ET GLORIA REGUM INVESTIGARE SERMONEM. — Hebraice, gloria Dei est abscondere verbum, et gloria regum scrutari verbum; Arabicus, gloria Dei velat intellectum, et gloria regis honorificat rem, vel negotium.

Apposite et pie pii regis Ezechiae scribae exordium hujus partis Parabolarum ducunt a divino cultu et honore, ait Aben-Ezra.

Aliqui et celare referunt ad hominem, non ad Deum. q. d. Ad gloriam Dei spectat quod homo ex humilitate colet sua benedicta vel benefacta; hoc ipso enim eorum gloriam sibi detrahit, et Deo adscribit; aut potius, q. d. Ad gloriam Dei perlinet quod sacerdotes et doctores nonnulla ejus verba abscondant, ut vulgus ea non intelligens admiraret et colat. Vicissim gloriosum est regibus per se vel suos consiliarios aut Praefatos investigare et penetrare arcana quae vulgus ignorat: sic enim Dei, vulgi scientiam transcendentes, gloriam imitantur. Unde Chaldaeus et Syrus verunt, gloria Dei est qui abscondit verbum, et gloria regum qui investigat sermonem. Hinc sacerdos dictus per; quasi celator, qui non patet ei regum, id est quod os clauderet, nec mysteria populo aperiret; divina enim casto sunt honoranda silentio, ut ait S. Dio-

nysius. Verum antithesis Dei et regum magis suadet et celare referre Deum, non hominem.

Rursum R. Levi sic explicat: Gloria Dei est celare verbum; vis horum est, cum quispiam aliquid a Deo votis exposcit, haud e Dei gloria est, ut quae postulat, patefaciat, cum Deus rerum omnium sit conscius; an non enim animadvertit novem Jereboam dissimulasse, cum ad Abiam Silonitem accederet, atque antequam in ejusdem conspectum adventaret, hunc quae expectabat patefecisset, Deo illi arcana revelante? « Gloria regum investigare sermonem, » q. d. Secus vero se habet regum gloria; illi enim rito investigare debent quae proponuntur, ut jus ad veritatis praescriptum administrent. Hi enim illa tantum perspecta habent quae exponuntur, cum secus in Deo accidit: haec R. Levi. Verum hic sensus aretior et alienior est.

Dico ergo, sensus est, q. d. Immensa Dei majestas et gloria elucet in eo quod verba quaedam, id est conceptus, cogitationes et sapientiam quamdam maxime arcana habeat, quam homines scrutari nequeunt; regum vero laus et gloria est scrutari sermonem, vel, ut hebraice est, verbum, id est rem ac sapientiam arcana et absconditam. Ratio disparitatis est, quod Deus sit uti essentia, sic et sapientia summa, quae res omnes omnesque intellectus creatos et possibiles hominum vel Angelorum in infinitum transcendit. Debet ergo ejus sublimitatem et majestatem multa sibi servare et abscondere, ut hominum reverentiam acuat, eorumque venerationem sibi conciliet. Reges vero, quia homines parum habent sapientiae, multa tamen indigent ad regendos tot populos et urb. s; quare ipsorum est eandem magno studio inquire et scrutari. Hoc facit illud Sapientis: « Res divinas deest ab hominum usu et visu esse remotissimas, ut sui ignoratione hominum admirationem et venerationem conciliet. » Et illud Valerii Maximi, lib. II, cap. vii: « Quidquid in excelsis fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilis, vacuum esse coavenit. »

Igitur per verbum generalim hic accipie sapientiam; haec enim est verbum mentis, tam in Deo quam in regibus, quod deinde verbo oris proloquuntur. Particulatim vero verbum hoc est sapientia est multiplex. Quocirca primo, per verbum hoc accipias verbum S. Scripturae, q. d. Verbum Scripturae, ac praesertim oracula Prophetarum sunt arcana, symbolica et recondita, ut gloriam Dei apud homines velent et celent; regum vero est eandem rolegere, vestigare et perscrutari, ut eorum arcana sensus cognoscant, aliisque cognoscendos tradant. Unde Moses, imo Deus, sanxit ut reges initio regni Deuteronomium sibi describant illudque crebro perlegant, Deuter. xvii, 18 (1).

(1) Gloria Dei, gloriosum Deo est occultare rem, et gloria regum investigare rem. a Deo gloriam et admirationem illud conciliat, quod in rerum omnium gubernatione suam tantummodo idque secretum consilium sequatur, ita ut suo administrati: nis arcana ratione mortalium nulli pateant; regibus gloriosum est, sagacitate sua explorare ardua, quae ad officia pertinent regum, potissimum ad justitiam administrandam in causis dubis, ut diligenter inquirent in ea quae ipsis proponuntur. » Haec Rosenmullerus ad II. I.

Nota appendicem harum parabolarum collectam a viris Ezechiae esse obscuram et profundam, ac magis quam eas quae praecesserunt involutam allegoriam, figuris et t. pis, uti ex Chaldeo, Syro et aliis dicit, vers. 1, q. d. Dei gloria est sum sapientiam celare his parabolis Salomonis: a tum decus esto, Ezechia rex, easdem colligere, vestigare, scrutari, uti facis per Sobnam ejusque socios; aequae ac decus Salomonis atvi tui fuit, easdem meditando scrutari et conscribere. Quare insolito Rabbini nonnulli ex hac gnomo fabulantur viros Ezechiae recessisse parabolas Salomonis obscuras, solisque regibus perspectas; faciliores vero et populo obvias duntaxat collegisse. Hanc sensum dat S. Gregorius, lib. I in Ezech., hom. 6, ubi tamen crassum scriptorum est mendium; directe enim verbis Salomonis adversatur, ideoque corrigendum. « Tenebrosa aqua, ait, in nubibus aeris, quia obscura est scientia in Prophetis. Sed Salomonis voce attestante audivimus: Gloria regum celare verbum, et gloria Dei est investigare sermonem; quia honor est hominum eorum secreta abscondere, et gloria Dei est mysteria sermonis ejus aperire. » Mendum habes, quod plane Scripturae textum invertit. Sic ergo corrige: « Sed Salomonis voce attestante audivimus: Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem, quia honor est Dei secreta sua abscondere, et gloria hominum mysteria sermonis ejus aperire. » Unde apposite ad hanc sententiam subjungit: « Ipsa quidem per se Veritas discipulis suis dicit: Quae deo vobis in tenebris, dicitur in lumine, id est, aperte exponite quae in allegariarum obscuritate vobis auditus. M. gnae vero utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat quod capere non potest otiosus. Habet quoque aliud magis, quia Scripturae sacrae intelligentia, si in cunctis esset aperta, videretur. Atque adeo in quibusdam locis obscurioribus tanto majore dulcedine inventa reficit, quanto major labore fatigat animum quaesita. » Hoc est quod ait Clemens Alexandrinus, lib. I Strom., magis dulciusque sapit verum studio quaesitum, et labore paratum, sicut venatoribus et canibus post longos cursus et venationibus laevae, suavissima accidit fera jam capta et possessa.

Secundo, per verbum hoc accipias mysteria et Sacramenta fidei, quale est SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae, etc.; haec enim arcana sunt et omnem hominum capum superant. Unde S. Athanasius in Synopsi S. Script. legit: « Gloria

tationem illud conciliat, quod in rerum omnium gubernatione suam tantummodo idque secretum consilium sequatur, ita ut suo administrati: nis arcana ratione mortalium nulli pateant; regibus gloriosum est, sagacitate sua explorare ardua, quae ad officia pertinent regum, potissimum ad justitiam administrandam in causis dubis, ut diligenter inquirent in ea quae ipsis proponuntur. » Haec Rosenmullerus ad II. I.

Dei operit vel obscurat rationem, » *q. d.* Gloria SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae adeo subtilis est et aereana, ut humana ratio in ea vestiganda caliget, ejusque acies in tam splendidum solis increati jubar hebetetur et obscuretur. Hinc S. Dionysius, *epist.* 5, et *De Divin. Nomin.*, docet Deum habitare in caligine, nec nisi per eam se patefacere mortalibus.

Notent hoc haereticus, discantque credere Deo dicenti se esse unum et unum, Verbum esse incarnatum, in Eucharistia esse verum Christi corpus, etc., etiam si ea non capiant, quia plus potest Deus facere quam humana mens comprehendere. Scriptum est enim vers. 27: « Qui scrutator est majestatis, opprimitur a gloria. » Caplvent ergo intellectum suum in obsequium fidei, imo Dei. Hinc Dei aereana gloria representata fuit curru Cherubico, *Ezech.* 1, qui plenus est involucribus, symbolis et aenigmatibus, ait R. Salomon; porro regum et principum, praesertim praetorium est, haec, quoad licet, puta in quantum ea Deus per Ecclesiam revelavit, scrutari, tum ut subtilis ea doceant, tum ut ea contra haereticos defendant.

Tertio, per *verbum* accipias rerum creationem, quae verbo Dei facta est: « Dixit enim, et facta sunt, » *q. d.* Deus in rebus creatis abscondit suam sapientiam, quam homines, praesertim reges et principes, vestigare voluit, ut in ea Deum auctorem agnoscerent et celebrarent. Hoc est quod ait Siraides, *Ezech.* III, 25: « Plurima super sensum hominum ostensa sunt tibi; » quis enim causam ventorum, nivis, grandinis, tonitru, fulminis; item motus solis, lunae et stellarum, aestum maris, et infinitorum similium, praecisam et adequatam assignare valeat? Et cap. XIII, vers. 34: « Exaltantes enim replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehenditis, etc., multa abscondita sunt majora his; pauca enim vidimus operum ejus. » Ita Aben-Ezra.

Quarto, et magis apposite, per *verbum* accipias decreta et judicia quae ab *elehim* (hoc enim nomen hic est in hebraeo), id est a Deo iudice, gubernatore et iudice universorum proficiuntur; horum enim rationes et causas penetrare saepe est difficile, v. g. cur nunc Assyrii, nunc Chaldaei, nunc Medii, nunc Persae, nunc Graeci, nunc Romani rerum potiantur? cur Turcis Deus tot dedit victorias, regna et imperia? cur in particulari hunc faciat divitem, nobilem, principem, regem, pontificem; illum pauperem, vilem, plebeium, etc.? Regum tamen est haec Dei judicia, eorumque causas quoad licet vestigare, ut Deum revereri, colere totique ab eo pendere discant. Aut plianus, *q. d.* Gloria Dei est decretorum et judiciorum suorum rationes celare, ut eminentem suam majestatem, sapientiam, dominium et potestatem ostendat; at vero regum est nihil decernere, nihil iudicare, nisi praevio exacto examine, et consist legem vel sententiam quam edidit

sunt esse justam, honestam, utiliter: atloqui enim multas ferent sententias et leges iustas, inhonestas, inutiles, quibus tam he quam populum graviter offendat, cum pro ulo seditionis vel rebellionis. Hic sensus va e appositus, et verbis ipsis quasi innatus videtur.

Aliqui sic exponunt, *q. d.* Gloriosum est apud plebem ridem et incapaem celare alta divinitatis mysteria et judicia, ne ab indignis et non intelligentibus spernuntur et rideantur; at vero gloriosum est regibus, si ipsorum dicta factaque diligenter perquirantur, et perquisita inventantur aequa et recta. Verum *q. d.* gloria regum est investigare sermonem proprie significat investigationem hanc a rebus ipsis faciendam esse.

Aliter Cajetanus: Opponunt, inquit, honor Dei et honor regis penes actiones istas, videlicet celare verbum et in quirere verbum; itaque celare verbum est honor *Elehim*, et non regum; et contra inquirere verbum est honor regum, et non *Elehim*. Oportet enim haec praetelligere, ut cognoscantur sensus parabola. Cum igitur verbum *Elehim* (hoc est Dei, quatenus est iudex) sit ipsum iudicium, consequens est quod celare verbum significet occultare rationes iudiciorum. Et est sensus: Ad honorem summi iudicis spectat abscondere rationes iudiciorum; occultissimae siquidem nobis sunt in particulari rationes divinarum iudiciorum quae saepe exercet. Et inter Deum et regem disparitas tanta est, quod ad ignominiam regum spectat celare rationes iudiciorum suorum, quia debent manifestare quare sic iudicant, quare illum damnant ad exilium aut mortem, etc.; ad Dei autem honorem pertinet occultare rationes iudiciorum suorum, quia per hoc innoscet quod non habet superiorem aut parem, quod non pendet dominium suum aut iustitia sua a nobis, sed a sola sua voluntate. Ad regum autem honorem spectat querere aut investigare verbum, hoc est verborum, factorum et rerum notitiam ac veritatem; quod fas non est attribuire Deo. Inquirere enim est nescientis: Deus autem in seipso ab aeterno omnia novit. Huc pertinet illud Cleomenis: « Vulgi arbitrium super principem est. » Rex enim pendet a regno et republica, Deus autem a nullo; imo totus orbis pendet a Deo, sicut radius a sole.

Simplicius Jansenus, *q. d.* Pertinet ad Dei gloriam quod nihil debeat inquirere, cum omnia sciat, et quod, cum omnia sciat, non tamen omnia se mox scire declaret, sed cuncta quae aguntur modo et dicuntur apud homines, celat ac dissimulat, suo tempore omnia revelaturus, cum omnia adducet in iudicium: hoc enim mirifice commendat ejus potentiam et lenitatem, quod qui omnia novit, tanto tamen tempore omnia tegat, ac patienter ferat. Ne autem hoc exemplum in Deo imitari velint reges, qui in ejus locum hic sunt constituti, ex opposito subjicitur ad gloriam regum pertinere, investigare sermonem, hoc est, diligenter inquirere de statu regni sui, deque his

quae a subditis in regno ipsorum aguntur, ut quae sunt corrigenda ac punienda, corrigant ac puniant. Neque enim ignominiosum sibi ducere debent inquirere de rebus, quamvis hoc sit nescientiam; nec instar Dei se gerere debent, quasi omnia scientes; nec quae novunt corrigenda instar Dei debent celare, sed detegere ac punire. Sensus ergo est: Sicut ad gloriam Dei facit quod non debeat inquirere de re aliqua, sed quod, cum omnia sciat, celat tamen ea: ita ad gloriam regum e contrario facit, quod, cum fateri debeant se plerique ut homines nescire, diligenter scrutentur res se ipsis necessarias, ut investigatas detegant et dirigant.

Quinto, per *verbum* aliqui accipiunt praecceptum. Unde Septuaginta vertunt, *gloria Dei est celare verbum; gloria autem regis honorat res*, vel, ut alii legunt, *honorat praeccepta*; nimirum pro *קצתה*, id est res, Procopius et alii legunt *קצתה*, id est praeccepta. Unde Auctor *Caloniae Graecorum* vertit, *gloria regis mandata sua magni facit*, non permittens ut quis ea impune violet. Alii passim legunt, *gloria regis honorat praeccepta ejus*, scilicet Dei, *q. d.* Gloria Dei est celare praecceptorum suorum rationes et causas, v. g. cur jusserit ne quis vestiatur veste et lana et lino contexta, ne quis agrum serat diverso semine, ne quis comedat primos fructus pomorum, etc., *Levit.* XIX, 19 et seq.; ipse enim absolutus et summus est omnium dominus, atque sapientiae ejus non est numerus; quare illi omnes, etiam reges, cervices, rationem et iudicium humillime submittere debent, ejusque praeccepta exosculari, ac sicuti fas est eorum rationes modeste vestigare, ubi vero fas non est, in Dei arbitrio et iudicio quiescere. Rursum noster Pineda, lib. III *De Rebus Salomonis*, cap. VI, num. 14, explicans illud *Sapientiae*, cap. IX: « Cogitationes enim mortalium timidae: » Indicat, inquit, regum cogitationes in eam unam rem insumi debere, ut consequi possint quid velit Deus: cum enim ille consilia sua et voluntates diligenter inquiri velit, celat tamen aliquando, ut oscitantibus et desidentibus non omnino pateant, sicut scriptum est *Proverb.* XXV, 2: « Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem, » videlicet illum ipsum quem Deus celat. Itaque proprium regum est cogitare et investigare quid ille velit.

Mystice Beda: « Gloria, ait, Domini est in carne apparentis, humanitatis suae infirmitatem magis quam divinitatis aeternitatem mortalium oculis ostendere, et se potius operum miraculis, ac mysticis locutionibus quam apertis assertionibus Verbum, id est Dei Filium, fateri. Unde multo saepius in Evangelio Filium se hominis, quam Filium Dei appellare consuevit. Et gloria fidelium ejus discipulorum est diligenter ejus investigare sermonem, quo se Deum etiam ubi patenter non dicit, mystice significat, quale est illud: Ego et Pater unum sumus, et caetera hujusmodi. Dent

quae celans Verbi aeternitatem, et praetendens carnis infirmitatem, ait: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Cui rei eximius investigator ejus sermonis, quem antea saepius audierat, respondit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Nec parvam hanc investigationem meruit gloria; nam profano ausu dicitur: Beatus es, Simon barjona, » etc.

Ex dictis liquet hanc gnomen Salomonis non adversari illi Raphaelis, *Tobia* XII, 7: « Sacramentum regis abscondere hominem est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. » Per sacramentum enim intelligitur secretum, quod rex omnino celari vult; per opera Dei vero illa quae Deus hominibus ostendit, illisque per angelos vel homines revelari jubet. Hic vero tantum dicitur, Dei gloriam esse quod multa celat, eaque hominibus praesertim regibus vestiganda relinquit: unde patet utrumque esse verum, neque posterius priori adversari.

3. COELUM SURSUM, ET TERRA DEORSUM, ET COR REGUM INSCRUTABILE. — Hebraice, *calorum in altitudine, et terra in profunditate, et cordis regum non est investigato*; Chaldaice, *celi sunt excelsi, et terra profunda, et cor regum investigabile*; Syrus, *non investigatur*.

Primo, R. Salomon exponit, *q. d.* Sicut caeli sublimitas et terrae profunditas investigari nequeunt: Quoties enim, inquit, illi jus dicendum? quot etiam bella eidem gerenda? quibus omnibus provida cura adstet necesse est, quod si lingue omnes sermonem sererent, manuscus omnium scribendo vacarent, haud satis essent ad describenda imperii gravia multaque negotia.

Huc accedit Raynus, qui sic explicat, *q. d.* Rex non habet otium ut vestiget caelorum altitudinem et terrae profunditatem, quia toti republicae negotia cor ejus occupant, ut illa omnia scrutari pene sit impossibile.

Secundo, Vatablus contrarie exponit, *q. d.* Utrumque, scilicet tam caelum quam terra, est in loco definito, ideoque utrumque comprehendi potest; at cor regum quia indefinitum, et quasi infinitum, nulla disquisitione comprehendi potest.

Tertio, Aben-Ezra hunc versum necit praecedenti, *q. d.* Gloria Dei celatur in caelorum altitudine, et terrae profunditate, ac rebus innumeris maxime variis et pulcherrimis, quae illorum ambitu continentur; quare cor regis ea scrutari et penetrare nequit, nec intelligere potest ea quae sursum sunt in caelis, nec ea quae deorsum in terra. Ipse ergo *inscrutabilis* accipit non passive, quod scilicet ab aliis scrutari nequit; sed active, quod scilicet caelos et terram scrutari non praevaleat. Unde hebraice est, *cordis, vel cordi, regum non est scrutatio*, scilicet caelorum et terrae.

Quarto, R. Levi, *q. d.* Caelum summe est altum, et terra summe est profunda: et cor regis altius debet esse caelo, et profundius terra: debet enim esse quasi immensum, quod immensa rei

publice totius aequae ac singularum sibi subdito-
rum negotia complectatur, disponat et expediat,
ideoque inscrutabile et impervestigabile.

Quinto, genuine, q. d. Sicut caeli sublimia et
terrae profunda sunt inscrutabilia (et, id est sic),
pariter cor regum est inscrutabile: et enim *in-*
scrutabile ad res caelum et terra per zeugma repe-
tendum est, ut patet ex Hebraeo, atque vocula et
hic notat similitudinem et comparisonem, uti et
alibi saepe in *Proverbiis*, idemque valet quod sic,
simili modo; licet enim Astrologi caelorum altitu-
dinem et terrae profunditatem dimensi sint, tamen
nullam certam et definitam utriusque mensuram
assignare poterunt: unde magna est eorum vari-
etatis et dissonantia, quam recenset noster Clavi-
us in lib. I *Sphaerae*. Rursum nullos perscrutari
potuit omnia quae caeli et terrae ambitu continen-
tur: quare haec perscrutatio est curiosa, vana et
inutilis, ait S. Augustinus, aequae ac curiosa et vana
est investigatio profundorum cordis regii consiliorum.
Ita Beda, Hugo, Cajetanus, Jansenius et
caeteri passim (1).

Ratio a priori est, *prima*, quod reges ingens
habeant cor, id est in-centes animos et spiritus,
ut maxima meditentur et animo desinent, ut
Alexander Magnus animo destinabat totum orbem
sibi subjugare. Haec autem consilia scrutari est
difficile, et saepe impossibile. Ita Joannes Austria-
nus, Caroli V notus, cum secreto in Hispania
aluaretur, essetque puer, rogatus quisnam suus
esset pater, respondit se id nescire, sed magni
viri alievis se esse filium augurari ex ingenti
corde et animis quos tum sentiebat, et paulo post
declaravit cum Turcas, anno Christi 1571, apud
Echinadas, et Geosios in Belgio apud Gemblacum,
anno 1577, ingenti clade cecidit; *secunda*, quod
in republica et regnis tot quotidie enascantur no-
vitates, novi motus, tumultus, conspirationes,
lites, difficultates, ut regis cor quotidie mille nova
mente sua versare debeat consilia, ut omnibus
occurrat: haec autem privato perscrutari est per-
difficile; *tertia*, quod cor regum in sublimi quasi
aethere positum sit mobile, variarumque passio-
num, informationum, adulationum ventus expo-
situm, ut saepe decreta mutet, et quod hodie pla-
cuit cras displiceat: quare sicut gallus in culmine
turrium flabris ventorum assidue rotatur et cir-
cumagitur, sic et cor regis; *quarta*, quia reges
affectant sapientiam, majestatem et eminentiam
super omnes: unde multa animo celant, ut vi-
deantur omnibus eminere, omnibusque esse sa-
pientiores, atque ut ea quae destinant feliciter ex-
sequantur: ad hoc enim mire valet secretum;
quinta, quod Deus cor gyret et floctat quocum-
que vult, ut per eum sua decreta, supplicia, vin-
dicias exsequatur, juxta illud cap. xxi, 1: « Cor

(1) Similis illud M. Terentii apud Tacitum, *Annal.*
lib. VI, cap. viii, dictum: « Abditos principis sensus, et
si quid occultis parat exquirere illicitum, anceps, non
ideo assequare. »

regis in manu Domini. » Sic Nabuchodonosor
cor a Deo agebatur ad punitionem et excidium
gentium impiarum. Sic Attilia ciebat se esse fla-
gellum Dei. Consilia autem et arcana Dei quis in-
vestigat? Quare haec gnome parallela est praecedenti,
q. d. Gloria Dei est celare verbum: hoc
autem celat in corde regis, ut per eum illud ex-
sequatur. Rursus, sicut gloria Dei, sic et regis,
qui est quasi Deus in terra, est celare verba et
arcana cordis sui. Notat praeter alios regibus Salo-
monem, cujus parabolas hic describit: Salomon
enim a Deo accepit sapientiam infusam rerum
omnium, ideoque hominibus caeteris impervestigabilem
et impenetrabilem.

Dicit idipsum Salomon hoc fine et scopo:
primo, ut compescat curiosorum vanitatem. Sunt
enim nonnulli otiosi et curiosi, qui aliud non
agunt quam scrutari et conjectare arcana consilia
regum et principum; qua in re et terunt tempus
inutiliter, et saepe falluntur, quia cor regum in-
scrutabile, ac quantum distat caelum a terra, tan-
tum cogitationes regum eminent superantique cogi-
tationes privatorum.

Secundo, ut doceat non esse ambiendas priva-
tae regum amicitias, familiaritates et favores,
quia cum illi emineant instar caelorum, qui illis
adhaeret, instar caelorum assidue cum ipsis motu
rotatur; qui vero ab eis longius abest paucis con-
tentus, quietus et firmus in terra constituit; praesertim
quia reges saepe intimos suos quos in al-
tum et quasi in caelum elevarunt, ob parvam
offensam dejiciunt, et in imam quasi terram pro-
sternunt. Id hoc saeculo in omnium pene regum
ausis factum vidimus, quia corda regum sunt
mobilia et inscrutabilia. Hoc est quod ait Psaltes:
« Nolite confidere in principibus, in filiis homi-
num, in quibus non est salus, » *Psal.* cxlv, 3.

Hinc Septuaginta pro *inscrutabile* vertunt, *ἀνε-*
λεγκτος, id est *imperscrutabile*, vel quod *redargui non*
potest, quia scilicet rex non habet superiorem in
terra a quo redargui possit, aut *irreprehensibile*,
omnino reprehensione majus, ut veritit auctor *Catena*
Graecor., tum quia cor regis nulli mortalium est
plane perspectum, tum quia nullius reprehensionem
admittit, q. d. Summa est regis in omnes
potestas, ut quidquid faciat impune faciat; et
esto innocentem dejiciat, aut veluti ex caelo in ter-
ram deprimat, nullus eum culpare vel arguere
audeat. Ita Philippus rex venenium jussit dari
Arato, qui id praesentens ad familiarem con-
versus: « O Cephalo, inquit, haec sunt premia
regiae amicitiae. » Antipater cum didicisset Par-
menionem ab Alexandro interfectum, dixit:
« Si Parmenio struxit insidias Alexandro, cui fi-
dendum est? si non struxit, quid agendum? »
Erat Parmenio velut alter Alexander in rebus mi-
litaribus. Si tantus amicus fefellerit, non est tutum
cuiquam amico fidere; si Alexander nihil com-
meritum sustulit, praestat a regum negotiis abstinere.
Ita Plutarchus in *Apophth.* *regum et imper.*

Antisthenes rogatus quomodo ad republicam
eipessendam sit eundem? Velut, inquit, ad ignem,
ne nimis admotus exuraris, procul amotus frige-
scas. Ita Stobaeus, *Serm.* 43.

Mystice, rex est justus et vir spiritualis, cujus
cor regitur a Spiritu Sancto, ideoque magna et
caelestia cogitat, ac proinde homini animali est
inscrutabile, juxta illud I *Cor.* ii, 15: « Spiritus
judicat omnia, et ipsa, a nemine judicatur. » Ita
Auctor *Catena Graecor.* Beda vero sic: « Sicut, in-
quit, altitudo caeli et profunditas terrae conjici ab
hominibus non potest, ita scientia Prophetarum
et Apostolorum, qui arcana divinitatis Spiritu
Sancto revelante cognoverunt, nostrae fragilitatis
capacitatem transcendit. »

4. 3. AGER RUBIGINEM DE ARGENTO, ET EGREDIETUR
VAS PURISSIMUM; AUFER IMPIETATEM DE VULTU REGIS,
ET FIRMABITUR JUSTITIA THRONUS EJUS. — « Firma-
bitur justitia » dupliciter, *primo*, q. d. Firma
erit justitia regis et regni. Unde Vatablus vertit,
justus erit rex. Secundo, q. d. Firmum et stabile
erit regis regnum, utpote firma et stabili justitia
base subnixum (1).

Impietatem quadrupliciter accipias; unde qua-
druplex hic oritur sensus: *primo*, pro saevitia,
inis et crudelitate, q. d. Sicut extersa ab ar-
gento et rubigine argentum evadit nitidum, pul-
chrum et splendendum: sic si rex deposito vultu
severo, minaci et crudeli, indurat mentem et fa-
ciem benignam, elementem, hilarem, instar ar-
genti splendet, suoque hilaritatis splendore
subditorum animos sibi devincit, quo fiet ut li-
bere et sine periculo justitiam exercere, jus di-
cere, et iniquos quoslibet plectere valeat; cum
omni ab omnibus ametur, a nemine quid rebel-
lionis vel mali metuet. Ita Beda: « Qui enim,
inquit, praesunt populis, si volunt firmum esse
solum suum, semper hilaritate et gratia plenos
vultus exhibent, ne per arrogantiam rigidiores
effici in mutationem incidant populum. » Sic
Julius Caesar, Augustus, Constantinus, Theodosius,
Carolus Magnus pluresque alii, sua bene-
volentia et hilaritate conciliarunt sibi omnium
animos, ut a se sanctas justitiae leges licet se-
veras ultra susceperent. Sic nimirum sapientia
divina « attingit a fine usque ad finem fortiter,
dum disponit omnia suaviter, » *Sapient.* cap. viii, 1.
Scitum est illud Antigonae regis: « Nullum regni
praesidium firmius civium benevolentia. » Et illud
Apollonii, qui rogatus a rege Babylonis, qua ra-
tione tuto regnaret, respondit: « Si multos ho-
noraveris, paucos vero crederis. » Et illud The-
mistocles, qui eundem admonenti: « Bene prin-
cipatum gerens Athenis, si canetis communis esse
velis et mansuetus, » respondit: « Nunquam ei

Contra
de rebus
benevolentiis.

(1) *Remove* (infinis. absol. vim habens jubendi, ut
supissime alias) *scortas ab argento, et proclitit aur-*
et vas. Remove improbum, improbos consiliarios qui
sunt in conspectu regis, et stabilietur justitia solum
regis.

sella: insederim, unde nihil plus a me ferrent
amici quam alieni. »

Secundo, impietatem proprie accipias regis ip-
sius, q. d. Aufer a rege impietatem, quae est
quasi rubigo argentei cordis regalis, illud obs-
curans, exedens et corrumpens, ac facit ut rex
sit pietatis, virtutis et justitiae studiosus; sic fiet,
ut justitiam ubique exerceat, per eamque suum
solum et regum roboret et confirmet. Sic, si Saul
ex animo abstulisset odium Davidis, in justitia
firmasset solum suum.

Tertio, impietatem metonymice accipias pro
impis, uti est in Hebraeo, Chaldaeo, Syro, Sep-
tuaginta, Vatablo, Pagnino. Noster enim legit
וְרָעָה, id est impietatem; Chaldaeus vero et
moderni alii punctis legunt וְרָעָה, id est
impium; unde sic vertunt, *remove scortas* de ar-
gento, et egredietur conflatori vas, scilicet petio-
sum, quia conflatum et purgatum. *Remove im-*
pium coram rege, et dirigetur vel firmabitur in jus-
titia solum ejus; Chaldaeus, *colligit rubiginem de*
argento, ut egredietur vas a conflatorio, et propa-
rabitur in justitia solum ejus; Syrus, *secrete scortas*
ab argento, ut egredietur vas purum, confrin-
getur iniquus ante regem, etc.

Sensus ergo est, q. d. Aufer a conspectu et con-
versatione regis impios consiliarios, principes,
amicos, adulatores, qui prava ei suggerunt con-
silia; ac eorum loco surrogat consiliarios, princi-
pes, familiares, qui sint probi, justi, sapientes;
horum enim suggestione, exemplo et auxilio fiet,
ut rex justa et sancta sanet, eaque fortiter exer-
quendo, justitia et probitate se suumque regnum
stabiliat. Ex adverbio Isaiae, cap. i, 23, excidium
Hierosolymae et regum Juda tribuit malis consi-
liariis et principibus: « Principes tui, inquit;
infideles, socii furum; omnes diligunt munera,
sequuntur retributiones. » Unde illis exclusis alios
probos se rogatarum pollicetur, qui Jerusa-
lem pristino nitore restituet: sic enim ait, vers.
25: « Excoquam ad purum scortam tuam, et au-
feram omne stannum tuum; et restitua judices
tuos, ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut
antiquitus: post haec vocaberis civitas justitiae,
fidelis. » Vide ibi dicta, et *Jerem.* cap. vi, 29 et 30,
ubi eadem metaphora argenti purgandi a scoria
Israelis attribuitur.

Hic sensus valde est appositus; tangit enim ra-
dicem omnis boni vel mali regiminis regum; ra-
dix enim est, boni vel mali consiliorum, et fami-
liares intimique regis: quales enim hi sunt, talis
erit et rex; si ergo justos et probos sibi rex asce-
cat, et expellat improbos, utique in republica
vigebit probitas et justitia, in eaque firmabitur
regnum ejus. Ita R. Levi, Aben-Ezra, Jansenius
et alii. Vere Plutarchus in *Moral.*: « Adulator, in-
quit, principi ovis scoria argento tenacissime mis-
cetur. »

Quarto, ample et generatim per *impietatem* ac-
cipias quaelibet scelera et sceleratos, q. d. Sicut

confilator, sive aurifex et argentarius per ignem tollit scoriā ab argento: sic pariter rex per supplicium et vindictam impios tollere debet de conspectu suo et totius regni; quod ergo facit confilator in purgando argento a scoria, hoc facit rex in purgando regno ab impiis. In republica enim et regno mixtum est argentum cum scoria, id est probitas cum improbitate, virtutes cum vitiis, probi cum improbis: separet ergo eos rex, probos retinendo, improbos exterminando; sic fiet ut iustitia et iusti toto regno triumphant, ac proinde a nullo injusto quidquam regi vel alteri oculibet metuendum erit. Unde Septuaginta vertunt, *percutit argentum improbum vel adulterinum, et mundabit mundum totum. Interfice impius a facie regis, et recta procedet in iustitia thronus ejus. Ubi nota est percutit: sicut enim continua percussione argentum purgatur a scoria, sanque puritati restituitur: sic et respublica, si in ea percutiantur et interficiantur improbi, iustitiæ, paci et felicitati reddetur. Ita R. Salomon, Salazar et alii.*

Præclare Diotogenes Pythagoræus, lib. *De Regno*, apud Stobæum, *serm.* 48: « Tria, inquit, sunt regis officia, imperare, iudicare, deos colere. Ideo in rege perfectio, ut bonus sit imperator, iudex et sacerdos, requiritur; gubernatoris enim opus est servare navim, aurigæ currum, medici ægrotantes, regis autem et imperatoris in bello periclitantes. » Et inferius: « Ut Deus ad mundum, ita se rex ad civitatem habet, et ut civitas ad mundum, ita rex ad Deum. Civitas enim mundi structuram et harmoniam imitatur; rex autem nulli obnoxius, et lex viva existens, Dei figuram inter homines representat. Perinde oportet regem a voluptate non vinceri, sed ejus victorem esse. Rursum, qui alios regere vult, prius suas affectiones regere discat. » Causam regis dignam subdit: « Convenit enim ut aliis semper virtute præeat, et secundum ipsam imperio dignus æstimetur, non secundum opes aut potentiam, aut jus armorum. » Unde et hæc concludit: « Itaque rex qui circa voluptates temperans, liberalis circa pecunias, prudensque et gravis in imperio fuerit, ille revera rex erit: consequetur hæc si primum fuerit verendum aspectu, tum auditu, et dignum se gesserit imperio; deinde benignus colloquio, vultu et conferendis beneficiis: deest id quod agit admirabile esse, uti regem oportet, ut eminentior cæteris quasi divinitatem quamdam præ se ferat. »

Mystice, Auctor *Catena Græcorum*: « Qui turpia, inquit, carnis desideria, pravosque ejusdem ad libidinem impetus in se maculat, is mentem suam ad justitiam componit, in qua Christus Dei sapientia et scientia requiescit. » Christus enim est ex mentium, ac mens ipsa rex est animæ totiusque hominis.

8. 7. NE GLORIOSUS APPAREAS CORAM REGE, ET IN LOCO MAGNORUM (Septuaginta, *δυναστεῶν*, id est dy-

nastarum, principum) NE STETERIS. MELIUS ENIM EST UT DICATUR TIBI: ASCENDE HUC, QUAM UT HUMILITER CORAM PRINCIPE. — Pro ne gloriosus appareas, hebraice est *אל תתהלל* *al tithaddar*, id est ne te ostentes, ne te ornas, ne te glorifices, ut vel splendore vestium, vel famulorum, æquorum, rhedarumque copia, vel sapientia aut facultia, aliave re magnates et majores imitari aut superare velis, imo cum ipso rege quasi certare; omnis enim privati hominis decus et splendor, dum majestati et splendori regio obijcitur, hebetatur, refringitur et evanescit. Septuaginta vertunt, *μή διαλαύσεις*, id est ne superbas, ne arrogantem te exhibeas. Romana, *ne gloriosum te ostentes; διαλαύεις enim est jactantia, strepitus, fastus, superbia, ostentatio, insolentia, vaniloquies.* Chaldeus, *ne splendidus sis in conspectu regis; Syrus, ne glorioris; Cajetanus, non te pulcherrimas; et in loco magnorum ne steteris*, id est, ut Vatablus, *ne locum magnatum occupes, cum magnus non sis.* R. Salomon: Ne te magnifice jactes coram rege ut gloriam tuam ostentes, atque superbe te geras coram eo qui tibi dignitate sit superior; satius enim est, ut tibi dicatur: Ascende huc, quam si absque venia aliquem locum ingrediaris, et inde te recedere jubeant. Aben-Ezra, *ne gloriosus appareas, ne velut ille currum splendidus sis; et in locum magnorum*, ubi magnates versantur, ne ingrediari et commorari. *Ascende huc*, nam magis e re tua est ut dicatur tibi: Ascende huc, et nobiscum morare, quam inspectante rege e gradu dejiciaris, cum ab ejus conspectu te abire jurent.

Agitur hoc versu, uti et quinque præcedentibus, de rege ejusque concessu inter magnates; sicut enim, vers. 2, regem comparavit cum Deo, ac tribus seqq. eundem comparavit cum subditis: ita hic vicissim subditos comparat cum rege, eosque docet modestiam, ut humiliter et reverenter agant cum rege et magnatibus. Sensus ergo proprie est, *q. d.* Ne coram rege te tuasque vestes, opes, nobilitatem, facultiam, etc., ostentes, neve ejus magnatibus te inferas vel ingersas; sis enim et regem et magnates tua superba audacitate offendes, atque ab utrisque humiliaberis et dejiciaris.

Ratio est, quod superbia et ostentatio omnibus quidem exosa sit, sed maxime regibus et dynastis, tum quia reges omnibus eminare volunt, nique præ se magni faciunt aut mirantur: unde Cyrus apud Xenophontem debebat suos nihil admirari, utpote qui magis admiranda viderint, et præ cæteris hominibus sint admirandi; tum quia reges volunt majestatem suam ab omnibus agnoscere, et magna omnibus in rebus submissione collere et suscipere: quare superbos et ostentatores velut qui tenebras majestati suæ offundant, detestantur; ex adverso amant modestos et humiles, qui sua demissione reges honorant, ac sua exigua sorte et statu contenti nihil ambiunt: unde eo-

rum sapientia et industria per sagacitatem qua polient, perspecta, ipsos ad majores honores pedetentim promovent, dicuntque: Ascende huc. Hinc periculosissimum tibi esse puta ostentationem agendi, quippe ex qua exisist invidia, magnum aule turbo. Ita igitur quæ agenda sunt, age sine ulla ostentatione agendi. Sapienter ergo: « Sallustius Crispus, cui suberat vigor animi ingenibus negotiis, eo acrior, quo somnum et inertiam magis ostentabat, » ait Tacitus, lib. III *Annal.*; et Seneca in *Cædipo*:

Cortissima est regnare cupienti via,
Laudare modica, et otium ac somnum loqui.

Emmanuel rex Lusitanie laudis eloquentiæ avidus, jussit Aloysio Silveira sibi scribere litteras pregregias ad Pontificem, addiditque sealas quoque suo marte et manu scripturam. A se scriptam epistolam regi obtulit Aloysius; ea ubi recitata est, subrisit rex, et gratias de more actis, e vestigio domum suam reversus, equos insterni jubet, atque una cum liberis in ipso meridie, nullo cibo prægustato, magnoque silentio solum vertit. Ut extra urbem fuere, substitit paululum Aloysius, et ad liberos conversus: « Alio, alio, ait, o fili, nobis migrandum est; ne enim in eo regno diutius vivere libet, in quo sciat rex me sibi ingenio ac doctrina præcellere. » Nempe vir prudens illud divine sapientiæ oraculum memoria tenebat: « Coram rege noli videri sapiens. » Plura hæc de re dixi *Eclii.* VII. 5.

Exstat hæc de re illustri apologus firmamenti et Saturni apud Cyrillum, lib. II *Apol. moral.* cap. xxv, cui titulus: *Contra pomposos ex magnitudine gratiarum*: « Fixarum stellarum sphaera, ait, gloriabatur corporis sui magnitudine, et motus velocitate, atque universalis virtutis granditate, nec non astrorum multitudine, cujus quidem pompam Saturnus intelligens, et ita dixisse fertur: Glorioso si falsa est, confusio est vera. Sed die mihi, rogo te, firmamentum, unde tibi sit tanta molis realitas, tante motionis velocitas, tanta stellarum luciditas et numerositas? At illa respondit: Ab intelligentia quidem ventitor, a sole illustror, anverserum auctor me condidit, et in me sidera ipsa idem fixit. Tunc Saturnus adjuravit: Nihil ego habes quod ex te sit, sed solum aliunde sumpsisti. Cui illa: Fateor, ait. Mox alter subjunxit: Cur igitur quasi non acceperis, de communitatis tibi perfectionibus glorieris, et alienæ gloriæ usurpatrix erigeris? Non attendis quod ubi compositis rapina sapientem contaminat, nulla sit vera gloria, cujus est bonitas universa; sed falso verum perdere, et per gloriam vanam in confusionem incidere maxime stultum est. » Deinde variis parabolis cæticis geomis idipsum

corroborat: « Sic et dicendo, ait, hoc tuum, facit totum te suum, ac fallaci gloria foris depictum, intus te rodit gratia vacuum. Quamobrem quanto generosior es, et in bonis tibi communistic præstantior, tanto sis intra solidum humilitatis sinum collecta latentior. Dives es, time furam, cum lynce thesaurum recondere, gratiarum spiritum sub duarum velationum tunicis abscondere. Aurum es, sub terra late. Pretiosissimus es rubinus, in petra bellagii te recondere. Quid plura? fuge gloriam sparsæ lucis, et dum cum noctiluce intrinsece gloriæ splendore fulgebis. Quibus dictis, exhortator conticuit. » Hucusque Cyrillus.

Mystice, si apud regem, quanto magis apud Deum, qui est rex regum, et summe odit superbos, humiliare nos oportet, ac meminisse conditionis nostræ et fragilitatis, nec eximium satisfactionis aut sapientiæ locum nobis apud illum vindicare, nec in ipsius Ecclesiæ eminentem aliquem honoris gradum ambire! ne egamur aut hic, aut postea coram Deo, angelis et iustis hominibus pudesferi, dum vel non assequimur desideratum in Ecclesiæ honorem, vel assecuti deprehendimur inferiores esse munere suscepto, ut aliis cedendum sit dignioribus. Hoc est quod monet S. Petrus, *epist.* I, cap. v, 5, dicens: « Humilimini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. »

Antistropa hæc geomis Salomonis est illa Christi, qui verus est Salomon, *Luce* XIV. 8: « Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honorator te sit invitatus ab illo, et veniens is qui te et illum invitavit, dicat tibi: Da huic locum, et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, resumbe in novissimo loco, ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius, et erit tibi gloria coram simul discumbentibus. »

ET IN LOCO MAGNORUM NE STETERIS. — Præter sensum proprium jam datum, hos quoque addas, *primo, q. d.* Ne ambias alla subsellia, magna dignitates, primas præfecturas; sed tuo licet modico vel mediocri gradu contentus quiete et modeste vive, donec a Deo vel a principe ad aliora evocaris. Vita enim privata et humilis est beata, quia caret mille curis, distractionibus, periculis, quibus scætet vita aulica magnatum et principum. Idipsum sero expertus Ovidius, lib. III *Tristium*, eleg. 4, ita canit, imo gemit:

Uisus cuncto si quicumque cretus amico,
Vive tibi, et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes præstrata vita:
Sævum præstrati falanx ab arce venit.

Et inferius:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vitat; et intra
Fortunam debet quisque manere suam.
Vive sine invidia, mollesce ingloriosus auro
Exige, amicitias et tibi iunge pares.

Denique noster Salomon, imo per eum loquens Spiritus Sanctus, *Bele. iv. 6*: « Mellor est, ait, pugillus cum reque, quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi. »

Secundo, q. d. Noli contendere cum magnis de loco, ut, si illi locum occuparint, tu eodem stare velis, pretendasque illum tibi deberi: hæ enim contentiones nascuntur ex ambitione, creantque periculum duelli, imo non raro belli cum publica magnaque multorum clade. Sane in Belgio sepe vidimus urbes ab hoste occupari, ac exercitus potentes profligari aut dissolvi, eo quod capitanei inter se loco certarent, nec alter alteri cedere vellet. Quocirca Romani prisci hanc non generositatem, sed stoliditatem censebant, eamque morte puniebant. Sapienter et heroice Damonides, cum a cheri magistro postremum in choro locum accepisset: « Euge, ait, chorage, reperisti quo pacto et hic locus per se inhonoratus, fiat honorificus. » Et Agesilaus puer, licet iam rex designatus, in ludo solemnium a prefecto loco parum honorifico collocatus: « Bene habet, ait, ostendam enim non locum viris, sed viros loco conciliare dignitatem. » Ita Plutarchus in *Lacon*. Dionysius rex cum offensus esset ab Aristippo philosopho, hominem ad cenam vocavit, et iussit eum in convivio infirmum omnium accumbere. Hic Aristippus nihil offensus: « Hunc, inquit, locum, o rex, illustrare vis, ac honorificum reddere; significans non locum reddere hominem viliores, sed ex dignitate hominis honorem addi loco. Ita Laertius, lib. II, cap. vii.

Tertio, q. d. Noli subito ambire magnos magistratus et subsellia, sed initio parvos capesse, ab eisque gradatim ad majores ascende, sic enim tandem ad summos evades. Ratio est, *prima*, quod omnium invidia pateant qui illico summa ambiunt, ac saltu heteroclitico ex humo in thronum transilire nituntur; *secunda*, quod hic sit ordo omnis nature, artis et disciplinæ, ut a parvis pedetentim ad majora fiat progressio. Sic enim puer sensim crescit, fitque adolescens, juvenis, vir et tandem senex. Sic fruges et fructus omnes sensim crescunt, sic enim in militia tiro fit miles, deinde decurio, mox vexillifer, inde centurio, inde chiliarcha, etc. Sic in Ecclesia, nemo repente fit presbyter vel diaconus, sed per sex minores Ordines velut gradus sensim eo ascendit: ita enim in singulis probat suam virtutem, et ad majorem gradum se preparat et disponit. Unde S. Cyprianus, lib. II ad *Antonianum*, laudat S. Cornelium, quod gradatim per singulos officiorum ordines ad Pontificatum ascenderit: « Non iste, ait, ad Episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Dominum sepe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. »

8. QUE VIDERUNT OCULI TUI, NE PROFERAS IN JURGO CITO, NE POSTEA EMENDARE NON POSSIS, CUM DE-

HONESTAVERIS AMICUM TUUM. — Ex Hebræo verti quoque potest, cum *dehonestaverit te amicus tuus*; amicus enim a te lesus te vicissim laedet, et probum probro regegens, secreta et verecunda tua nudabit.

Est hic triplex disjunctio: *primo* enim R. Levi, R. Salomon, Aben-Ezra et moderna Biblia Hebræa *is que viderunt oculi tui* referunt ad vers. præced. de rege et magnatibus (1); *secundo*, Septuaginta illa a cæteris sejungunt, et subaudiendo verbum *dictio*, gnomen separatam constituunt: unde vertunt, *que oculi tui viderunt ea dictio, ne temere prorumpas in litem vel pugnam, ne ad finem facti te pœniteat*; *tertio*, optime Noster, Pagninus, Vatablus et alii sequentibus annectunt.

Ignitur *primo*, Hebræi illis verbis omissis, et ad versum præcedentem reverts, sic hanc gnomen afferunt. R. Salomon, *ne litem capesses contra amicum, ut non pudeas, quod cum amico jure certaris, cum quo gratia certare debes*; Chaldaeus, *ne egrediaris ad jurgium cito, ut non contendas postea quando exasperaveris amicum tuum, vel quando te exasperaverit amicus tuus*; Syrus, *ne egrediaris ad iudicium velociter, ne, quando judicaveris, exprobrat tibi amicus tuus*; Baynus, *ne egrediaris ad litem, sed festina ut finem imponas, ne pudefaciat te amicus tuus, præoccupando te, et ad amicitiam redintegrandam invitando*; Aben-Ezra, *ne exas ad litigandum nisi prius causam expenderis, et eam justam esse apud te deceveris, ne male audias apud amicos tuos, et litium consecutor appellaris*.

Secundo disjunctio Septuaginta ambigua est, et tam ad præcedentem quam ad præsentem verum referri potest. Ad præcedentem, *q. d.* Ne ostentes te tuamque sapientiam coram rege; sed si qua de re ab eo rogeris, candidè et simpliciter dicto ea que viderunt oculi tui, id est ea que vidisti vel audivisti: sic enim arrogantis fastum devitabis, et modesti veracisque nomen apud eum obtinebis. Ilio sensus valde appositus est. Si ad præsentem referas, per jurgium accipe causam et litem civilem, *q. d.* Tu qui in lite testimonium apud iudicem dicis, ea tantum deponere que oculis tuis aspexeris, et rursus ex his que vidisti, ne quid celeriter et imparato in causa aliqua rogatus dixeris, ne sera te postea pœnitentia dictorum capiat, tunc scilicet cum reum liberare non possis, aut nolis; ne cogaris retractare quod dixisti, itaque mendax habearis; uti faciunt multi, qua in re similes sunt crocodillis, canibus venaticis, similibusque bestiis, que cum semel prædæ dentes infixerint, vix unquam evellunt. Ita Salazar. Huc facit illud: « Nescit vox missa reverti. »

(1) Hoc sensu, coram principe, quem viderunt oculi tui, cui te insolenter propius advovisti, ita ut eum proximo et familiariter videre posses.

Vers. 8. Ne exas ad litigandum festinanter, i. e. temere, ne, i. e. nam, quid factus postea ignores, cum te pudore affecterit socius, adversarius tuus. — Vigatus legit *כערת*, ne proferas temere in jurgio.

Tertia disjunctio nostri commodissima, apertissimum et maxime connexum sensum exhibet. Monet enim, ait Janensis, ne quis per jurgium et contentionem publicum faciat alicujus crimen, etiamsi oculis suis illud conspexerit, multo minus si vano audierit tantum rumore; sed secundum Christi præceptum cum peccaverit frater aliquis, secreto moneatur, idque non per contentionem, sed in spiritu lenitatis, contra quorundam morem, qui statim ubi aliqua viderint in proximo, quæ sint reprehendenda, mox cum jurgio et stomacho proferunt, ac palam faciunt. Itaque notanda tria que hic dicuntur: *Ne proferas, et in jurgio, et cito*; neque enim crimina, maxime secreta, sunt proferenda et publicanda, nec cum jurgio sunt reprehendenda, nec cito aut præcipitanter, sed tempore et loco opportuno. Quamquam illud in jurgio aliter accipi possit, videlicet non pro *cum jurgio*, aut per jurgium, sed pro *inter jurgandum*, ut significetur, si litem aut contentionem aliquam habere cum aliquo contingat, evadendum, ut ne per impatientiam animi ac se vindicandi causa, quid etiam casum rerum quas vidit, effusiat contra alium, ne, cum proximum suum infamia aliqua asperserit, non possit id postea corrigere, et famam ereptam restituere, sique se et coram Deo obnoxium faciat magno peccato, et apud laesum magno exponat periculo.

Sapienter Plutarchus in *Moral.*: « Velut navem, ait, acceptam fluctibus anchora non licet sistere, ita nec verbum in altum emissum; » et rursus: « Ut proclive non est avem e manu emissam recipere, ita nec dictum semel ab ore profectum. »

9, 10. CAUSAM TUAM TRACTA CUM AMICO TUO, ET SECRETUM EXTRANEUM NE REVELES: NE FORTE INSULTET TIBI CUM ADIERIT, ET EXPROBRARE NON CESSET. — Pro insultet hebraice est *יחסיך* *iechasselecha*, quod proprie significat, *ne in te pius et beneficus sit*; sed hic et alibi per antiphrasin contrarium significat. Unde Tigurina vertit, *ne forte audiens subtrahat a te beneficentiam*; Vatablus et Pagninus, *probris ne officiat te*; Chaldaeus, *ne exprobrat tibi*.

Causa hic quintuplici respectu, quintupliciter accipi potest: unde quintuplex oritur sensus. *Primo* enim Cajetanus sic ex Hebræo vertens, *lis tua lis socii tui, et secretum alterius ne detegas, ne exprobrat tibi, et infamia tua non quiescat*, sic explicat: Charitatis plena monitio, ut litigiosam causam amici tui reputes tuam, et simile huic est mandatum, ut secretum alterius non detegas, sed tanquam secretum tuum habeas. Et ratio subditur: Ne propria fama dampnum patiatir irreparabile, afflicte te contumelia audiente detegi secreta, causamque amici a te non æstimari. Irreparabilitas enim fama significatur dicendo: « Infamia tua non requiescet; » infames enim sunt, et lesæ amicitia rei, qui amici secreta produnt, aut ei in lite et adversitate non opitulantur. Hæc Cajetanus.

Secundo, R. Salomon, *q. d.* Tu quidem juste

causam tuam cum amico jure prosequi potes, si ipse tecum ligare velit, teque ad litigandum cogat; cave tamen ne in lite secretum ejus reveles, ut probum majorum ejus, qui jam vite functi sunt, quod cartis ignorabant, in lucem revoces. Sic enim proditor amicitia et secreta audies, atque amicus a te lesus, cæterique hoc proditoris crimine tibi exprobrare non cessabunt.

Tertio, Vatablus, *q. d.* Causam et litem tuam quam cum alio habes, age non coram iudice, sed coram amico, ut is amice et secreto velut arbiter litem dirimat vel componat: si enim causam in iudicium deducas, omnium sermonibus, iudicis et diceris te expones, atque pericula diffamationum, expensarum aliorumque damorum, que lites consequi solent, subibis.

Quarto, Hugo, Arboreus et Janensis: Significatur, inquit, non debere quemquam nimis fidere sibi in gerendis suis negotiis et causis, sed si quod habeat negotium, maxime singulare et arduum, tractandum illud cum alio; non tamen cum quovis, sed cum amico quopiam, de cujus fide non dubitetur, qui et bene consulere velit et secretum servare. Cavendum enim ne quis secretum suum homini extraneo, cujus integritas non sit satis explorata, revelet, ne forte quod auditivum secretum, publicè objiciat, et sine cessatione improperet. Huc accedit S. Thomas, III, *Quest. CLXXXIX*, art. 40, ad 2, ubi docet causam temporalem tractandam cum amico temporalis, spiritalium (qualis est ingressus Religionis) cum amico spiritali.

Quinto et genuine, hæc gnome pertinet ad litem et jurgium, de quo vers. præced. *q. d.* Si quid cause, litis, jurgii et querelæ habeas contra amicum, cum eo amice et secreto illam pertracta, exponendo illi ea dicta vel facta ipsius, que tibi injuria videntur, teque affligunt et cruciant, ut ipse vel earum rationem reddat, vel venia petitione alvæ satisfacione lesionem sarciat, et amicitiam redintegret: quare secreta hæc inter te et amicum discida, secreta proba, secretas injurias extraneo (cujus incerta et dubia est fides) ne reveles, uti imprudens et impatientis facere solent, qui læsi ab amico, illico queram eum apud obvios et cæteros quoslibet traducunt, eisque injurias sibi ab eo illatas narrat et amplificat. Extraneo enim facile te ridebit tibi que insultabit, et eadem divulgare, imo in faciem tibi exprobrare non cessabit. Hoc est quod sanxit Christus, *Matth. xxv. 13*, dicens: « Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripue eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. » Ita Beda.

Hunc esse sensum patet ex Hebræo qui habet: *Litem tuam litiga* (Chaldaeus, *iudica*) *cum amico tuo, et secretum alteri ne reveles; ne forte exprobrat tibi, et infamia tua non revertitur* (1); Chaldaeus,

(1) Id est, non recedat, id est, ne sempiterna tibi infamie nota iuratur.

ne forte exprobrat tibi cum audierit, et famam tuam pervertat; Syrus, et multi te iudicent, id est vituperent et condemnent. Et ex Septuaginta, qui in Romanis et Complutensibus intricali et obscuro sunt; dare vero ab Auctore *Catena Graecae*, sic rediunt: « Si quando probro te affecterit amicus tuus, dissimula, retroque accede; neque ob id illum asperneris, ne conviciis te appetat, adeoque talis hinc rixa et inimicitia oboriatur, quae non facile decedat, verum diu multumque instar mortis te infestet, » *q. d.* Si tibi incedit cum amico, illumque videris ira accensum pariturere verba indignationis plena, quae in te evomat; tu prudenter abi et secede, dum ira ejus deferreat, quo facto quiete cum ratione causam tuam cum eo age: si enim furenti obstitas, tu quoque furenti incipies; ejusque futorem magis accendas, unde fiet ut utriusque multa probra jactentur, quae utriusque apud audientes infamant, et infamia semel contracta deinde delecti non possit. Illic facit symbolum Pythagorae: « Cibus in scapham putridam non ponas, id est secretum ne committas improbis et garrulis. »

Nota: Pro rixa et inimicitia, etc., quae instar mortis te infestet, Romana et Complutensens vertunt, rixa tua et inimicitia non aberit, sed erit tibi aequalis morti, tum quia durabitque ad mortem; amicus enim laesus ab amico improprie, revelatione secreti et plaga dolosa, est irreconciliabilis, ut ait Ecclesiasticus cap. xxii, 27; tum quia inimicitia infermit amicitiam, quae est quasi vita amicorum; amicus enim vivit in amato, et amicus in amico: anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat. « Sicut de Oreste et Pylade traditur, si non fingitur, qui vellet pro invicem, vel simul mori, quia morte illis pejus erat non simul vivere, » ait S. Augustinus, lib. IV *Confess.* cap. v. Amicitia ergo est amicorum vita, inimicitia vero eorumdem mors. Tum denique quia perpetuae inimicitiae et rixae, praesertim eorum qui antea fuerunt amici, sunt molestissima, ut homo inaliit mori quam in perpetuis litibus rixisque vivere; signum et periculosissima, ac non raro in mutuas caedes desinit. Quocirca Moses, imo Deus, iudeis ita sanxit, *Levit.* cap. xix, 17: « Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum; ne habeas super illo peccatum. Non queras ultionem, nec inemor eris iniuriae civium tuorum. »

GRATIA ET AMICITIA LIBERANT, QUAS TIBI SERVA; NE EXPROBRABILIS ES. — Pro liberant greco est ἀλευεῖς, id est libertate donant, servitute liberant, liberum, ingenuum, liberalem, generosum efficiunt. hic versus non est in Hebraeo: unde et versus praecedenti sub eodem numero annexitur; sed transcriptus est ex Septuaginta, ubi sic habet: Gratia et amicitia liberant periant, quas, ne probris obnoxius fias, tibi servas, viasque tuas custodi. ἡσθηλαῖς, id est conciliabiliter, placide, benevole, composito; ἡσθηλαῖς enim vocatur liberalis, placidus, facilis, compositus, benignus, benevo-

lus, qui sua benevolentia et compositione morum omnes sibi devincit et conciliat.

Dixerat Salomon non esse litigandum cum amico, sed ejus injuriam vel dissimulandam, vel secreto et amico cum eo pertractandam, ut amicitia non dissuatur, sed fortius coalescat et redintegretur; nunc causam subdit, quod gratia et amicitia sint virtus et dos nobilissima; quae hominem liberum, liberalem et generosum efficiunt ut malit sapiens eam servare, et aliquid injuriae ab amico perpetui, quam amicitiam frangere, et injuriam lite prosequi vel ulcisci. Hoc enim est animi liberalis et generosi, qui aliam parit libertatem, qua homo a metu, periculis, rixis aliisque mille malis, quae ex inimicitia consequi solent, liberatur. Unde Jansenius sic explicat: Significatur, inquit, gratiam et amicitiam, id est favorem et benevolentiam Dei et hominum, liberum et ingenuum reddere hominem, ita ut servili timore sibi male non metuat, sed per gratiam ac amicitiam Dei hominumque securus sit, ac libero vivat animo, atque saepe a multis malis per illa liberetur: proinde merito curam illorum habendam ut custodiantur et firmentur, ne qui prius bene munitus erat aliorum gratia et amicitia, illis amissis fiat exprobrabilis. Sic etiam euique custodiendae vias et actiones omnes, ut facile cum ipso transigi possit, nec durus sit ac praefractus, sed semper facilem se praebet ac pacificum, ita ut, etiamsi quid controversiae incidat, facile conciliationem admittat, ne scissa amicitia postea non facile resarciiri possit.

Unde Septuaginta addunt: Custodi vias tuas ἡσθηλαῖς, id est composito et conciliabiliter, *q. d.* Ita mores tuos compone, ut omnium gratiam tibi concilies, in discepte novos tibi parias amicos, qui te diligant, protegant, promovent. Quia in te vites imitari debemus. Vites enim, ait Plutarchus, lib. *De Adulatoribus vitandis*, « effusis palmis proxima quaque arbuta clavicularis suis complexa, lectiores fiunt: sic plures per amicitiam sibi adjungere felicissimum est. » Hic Epaminondas, teste Ellano, lib. *Variar. histor.*, dicere solebat: « Non prius interdu discendendum e foro esse, quam novum aliquem amicum ac veteres adjuveris; » idque Scipionem Africanum factitasse perhibent. Socrate interrogante Crisum, quid magni e regno esset concessus? cum ille respondisset: « Ut hoste ulciscerer, et amicos beneficio afficerem: Nullo, inquit, melius fecisses, si et illos tibi amicos ascrivisses. » Ita Maximus, *serm.* 6. Sic cum Pompeius hostes ferro perdomandos, amicos favore colendo, censeret, Julius Caesar melius utrosque beneficiis devotivendos censuit. Majus enim meliusque est ex inimico amicum facere, quam cum perdere et ulcisci. Porro ἡσθηλαῖς, id est conciliabiliter, egregie explicat S. Bernardus, *serm.* 2 in *Festo SS. Petri et Pauli*: « Arbitror, inquit, quod tibi qui in congregatione es, bene vivis, si vix or-

disabiliter, sociabiliter et humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter, ut tu in omni conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas, et in conspectu homini, et in conspectu proximi, cavens et tibi a peccato, et illi a scandalo non dissuatur, sed fortius coalescat et anare, blandum te et affabilem exhibere, supportare non solum patienter, sed et libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quam corporum. Humiliter, ut, cum haec omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex hujusmodi nasci solet, et quantumcumque illum senseris, negare omnino consensum. »

11. MALA AUREA IN LECTIS ARGENTEIS, VERBUM DICTUM IN TEMPORE SUO. — Noster videtur legisse מִשְׁכָּבוֹת *mishkabot*, id est lectis. Jam legunt מִשְׁכָּבוֹת *mishkabot*, id est celaturis vel cancellis. Unde Septuaginta vertunt, *malum aureum in monti sarvici*; Symmachus et Theodotion, *in conspicuis argenti*; Syrus, *ponum aureum in opere fusili argenti*; Pagninus, *in picturis argenteis*; Chaldaeus, *in imaginibus argenteis*; Cajetanus, *in casuris*; alii, *in celaturis*; R. Abraham, *in absconditis*, vel *in thesauris argenti*; Vatablus, *in celatis vasis argenti*; Arias, *in thecis transparentibus argenti* (1).

Igitur primum trium linguarum trina hic est lectio et versio, ac consequenter trinus sensus. Discrepant enim a se invicem latina, hebraea et graeca, ac proinde cuiusque sua danda est explicatio.

Primo ergo Latinus Vulgatus interpres *mala aurea* ab aurifice fabrefacta accipere videtur, quae ex lectis argenteis suspensa sunt, hoc est ad argenteum et celatum lectorum operculum dependent. Sic enim *Esther.* 1, 6, rex Assuerus magnificentiae causa in convivio suo regali lectulos apparavit aureos et argenteos, ut in iis convivae discumberent, in quibus elegantiae causa mala aurea incedi vel affigi poterant, ut convivarum oculos pascerent, ac simul ciborum orexim et

(1) Sermo tempore laudato, per comparationem ita concepta, ut praecedat res, cui comparatur, sequatur sermo comparatus. *Mala aurea in figuris*, seu ornamentis argenteis verum est dictum suo tempore. Per mala aurea alii intelligunt sphaerulas sive conchas, quales sunt collarum, figuris argenteis ornatas: ita Gesenius et Ewaldus; alii, vera mala et quidem cydonia seu chryso-mela, quae ob colorem aurea dicuntur. De iis Virgilius, *Ecol.* 3:

Aurea mala decem misit, crasi altera mittam,

Difficilis est quod in altero hemistichio est *aptenau*. Voci quidem *rota* significatum tribuendum putat Ewaldus (*ophan* enim est *rota*), tum propter *al*, tum maxime propter formam ipsius nominis, cum ea aperte sit facilis, qui abhorreat a temporis significatu, apta vero sit in nomine *rotas* significante. Gesenius vero *ophan* docet significare *tempus*, a *vertendo volvendaque* dictum: plures enim voces *annuum* designantes proprie orbem indicant, ut *annus*, unde *annulus*, *annulus*, *annulus*, etc. Ewaldus respondere potest, al vertendum esse non *super*, rotas scilicet, sed *secundum*: dualis autem formam inesse voci *aptenau*, quia notio tempore duo complectitur, praeteritum scilicet et futurum.

appetitum acuerent. Sensus ergo est, ait Jansenius: Quemadmodum mala aurea affixa lectis argenteis, aut ab eis dependantia, exornant multum lectos, recreant atque delectant, et propter varietatem et propter artis elegantiam: ita verbum opportunum tempore dictum multum afficit audientes, et ipsum profectum mire exornat: verbum enim prudens si non dicatur suo tempore, est quidem quasi pomum aureum, ac in se multi pretii; sed si jungatur tempori suo, quo commode dicatur et opportune, veluti aureum pomum est argenteis lectis insertum, valde scilicet recreans hominesque efficiens: antiquitus enim ditissimi et potentissimi reges lectos habebant aureos et argenteos, eosque mira varietate exornatos, ut habetur *Esther.* 1, *Hebraea habent*, *verbum dictum in rotis suis*, hoc est, dictum de *»* tis quibusdam modis ac coloribus rhetoricis exornatum, quibus veluti rotis utebatur in auditorium aures.

Hinc mystice Beda: « Verba, inquit, praedicatoris apposite ad captum auditorum concinnata sunt mala, quia de arbore vite, hoc est, de Dei sapientia sunt orta: aurea, quia charitatem menti infundunt; lectis etiam comparantur, quia requiem praestant animabus audientium: argenteis, quia splendore fulgent veritatis. Mala ergo aurea superaddit ornatum lectorum argenteorum, quibus divina eloquia spiritualibus plena sensibus atque mysteriis, quibus suaviter animus percipitur et accenditur, opportuno tempore, per auditorios ad simplicioribus doctis, per quorum custodiam et hic praestatur pax animae, et ad quietem pervenitur aeternam. »

Minus concinne alii per « mala aurea » accipiunt pedes aureos lectorum, quos Clemens Alexandrinus in *Pedag.* vocat *πυργόμοιροι*; id est auro insistentes, puta aureis pedibus subnixos, *q. d.* Sicut pedes lectorum tornati ex auro, ad rotundi, ut videntur esse mala aurea, lectos trichinorum tam ornant quam sustinent: sic et verbum dictum in tempore suo. Minus, inquam, apte, tum quia mala aurea dicuntur esse in lectis, non lecti incumbere malis aureis; tum quia tempus opportunum dicitur potius ornare verbum sapiens, quam ab eo ornari.

Secundo, juxta textum hebraicum, valde apposite verbum opportune dictum comparatur malis aureis collocatis *מִשְׁכָּבוֹת* *bemishkabot*, id est in sculpturis, celaturis, vel cancellis argenti, quos scilicet inclusae sunt thecis argenteis, sed cancellatis, ut per cancellorum foramina malum aureum quod intrinsecus est, conspiciatur: radix enim *שָׁחַ* *sacha* significat conspiciere et intueri res celatas, pietas, figuratas et affabre elaboratas. Unde Symmachus vertit, *in thecis perspicuis*. Fortis Noster haec thecas vocat *lectos* per hebraismum, quia sicut homo in lecto, sic mala aurea in theca sua requiescunt. Jam si aurum ornandum erat pretioso alio metallo, nullum quidem opportu-